



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Antipharmacum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

iam non sunt. Iam & puer seipsum despondere debet, parentum tamen antea patefactâ & lamentata negligentia, sequæ incontinentia ereptum, Matrimonio, ad quod conditus est, dedere, siue parentibus, siue amicis, vel inimicis placeat, vel displiceat.

### Antipharmacum.

CUR hoc ita faciendum? Quia Luthero ita libuit. Si aliud & aliter libuisset, aliud & aliter agendum esset: obserua autem egregium finem, ob quem creatus est homo, si Lutherum audimus; nimirum, non vt Deo seruiat; & seruiendo vitam æternâ consequatur; Sed vt liberos gignat, sicut arbor producta est, vt poma & pyra ferat. Vt ergo arbor illa, quæ fructus non profert, inutilis habetur; ita & homo, qui non generat liberos. O eximium quinti Euangelij Euangelistam. Ex quo iure quæras, quotonam anno Parens filium matrimonio iungere debeat, ita vt ni faciat, potestate paterna excidat? Ait quidem Lutherus, masculos vigesimo; puellas decimo octauo atatis anno coniungi debere. At quid facti opus, si prius libidinis æstu vrantur, vt plerunque contingit; Num parentes adibunt, secretosque suos ignes patefacient? Honestæ sane ratio, & admodum ingenuo adolescenti aut pudicæ puellæ consentiens. Deinde, num ideo Lutherus parentes sua potestate exuet, si filium aut filiam non statim anno vigesimo aut decimo octauo in matrimonio collocent?

Quæritur XLIII. num parentes suos filios omnino à matrimonio arcere possint; hoc enim sequi videtur: Nam si patri ius est, promissa & matrimonia filiorum suorum impediendi & dissoluendi, ius etiam illi erit, vt omnino eis matrimonium vetet, & ad castitatem cogat. Respondet

Hh 3

Luthe-

Lutherus in Analyſi Thematum matrimonialium: Nullo pacto. Supra memoravi, hominem, non à parente ſuo, verũ à Deo creatum eſſe, ut edat, bibat, fructum corporis ſui habeat, ut dormiat, aliaque natura opera perficiat. Quorum permutatio in nullius manu conſiſtit. Quare differunt inter ſe; Matrimonium cum hac vel illa perſona impedire; & idem penitus abdicare. Etenim parens mandare poteſt, ut proles ſua ab hoc, vel illo, edendo & bibendo ſe abſtineat; híc, aut illic, in ſoporẽ ſe non collocet, iuberetamen non poteſt, ut impranſus, incœnatus, impotus & inſomnis permaneat: in dũ ſua intereſt, ut de cibo, potu, ſomno, victu & amictu, adcoque de omnibus neceſſariis, quã optimẽ ſoboli ſua proſpiciat. Quod ſi minus præſtiterit, non amplius parentis officium exequitur, pueroque iam incumbit neceſſitas, ut hac ſibi ipſe comparet.

### Antipharmacum.

Hic iterum vides finem, ob quem, Luthero Indi-  
ce, homo creatus eſt; nempe, ut edat, bibat, fructum  
corporis ſui habeat, ut dormiat, & alia natura opera perficiat. Ex quo conſequitur homines, ſecundum Lutherum, vivere ut edant, bibant, dormiant, non edere, bibere, dormire, ut viuãt. Quis neget hunc tam ſublimẽ prophetam altius in cœlũ euectum, quã ipſum ſanctũ Paulum? Nunquam enim tam abdita nobis protuliſſet, niſi ſupra omneſcœlos in vacuum illud & inane infinitũ quod extra cœlos eſt; abductus fuiſſet. Sed quid ſi parens cum filio Sophiſticẽ ageret, diceretque; Non prohibeo tibi matrimonium, ſed cum hac & illa, & illa, & illa, &c. vel diſſunctim, cum illa, vel illa, vel illa, &c. & interim  
nul-